



M A G N I F I C O
A C A D E M I Æ
R E C T O R I
V E N E R A N D O C A N C E L L A R I O
A N T E C E S S O R I B U S M E R I T I S S I M I S .

Q U Ä S T I O N E S D U Ä M E D I C Ä A S U P R E M O
Aquitaniæ Senatu & Regiâ Academiâ propositæ in
Argumentum pro regiâ Medicinæ Cathedrâ vacante.

*An patio Caffé, vel decoctum foliorum Thé conferat ad sanitatis
tutelam.*

I.

S A N I T A T E M , eam scilicet hominis constitutio-
nem , in quâ nec torquetur doloribus , nec in obeundis
vitæ muniis impeditur , aliquando præiosum paren-
tum munus , semper laudabilis & integræ vitæ premium ; à



rectâ fluidæ corporis substantiæ texturâ, & illesâ partium conformatiōne potissimum pendere nemo nescit. Hanc humanæ apicem felicitatis, multa esse in rerum naturâ quæ evertant, & innumera quæ illius tutelæ & conservationi providere, vitamque facere beatiorem apta sint nullus est cui, propriò experimento non fuerit comprobatum, in hunc censum referri merentur sex non naturalia vulgo dicta, quorum moderatus usus profligatam restaurat, firmat titubantem, vel firmam & constantem tuetur.

I I.

ENIM verò quò perpetuò vigeat immunis consonum est ut corpus exercitatione & Vigiliis suscitetur, non dissipetur, somno & quiete instauretur non obtorpescat; vilibus escarum detrimentis foras extrusis; lenis aura purusque aër pulmones sanguinisque penetralia subeat. Unde anima temperetur, non diffletur, nec turbidis animi motibus repente exardescat; his omnibus adde cibi solidi, potusque ordinatam vicissitudinem, quorum perenni usu, sed intervallis & copiâ temperato, quotidiana humanæ compagis dispendia reparantur, secùs, rueret citò in præceps Microcosmi mirabilis textura eò quod discordibus uniatur Elementis, fluxilibusque principiis confletur.

I I I.

PO TULENTA tamen in tuendâ valetudine principatum obtinebunt, ex eo quod facilius promptiusque corporis penetralia & recessus subire aptiora sint solidis, vitia digestionum emendent, anadosi feliciter famulentur,

& assimilationem prōmoveant, illorum duplex genus esse creditur. Primum eorum quæ propriè $\tau\pi\cdot\phi\omega\pi$ & nutrientium nomen merentur, in hunc censum referimus omnis generis vina, l̄juscula, avenacea, ptisanas, orysæ cremores, aliaque quibus magnam alibilis substantiæ copiam inesse experientia testatur. Aliud verò eorum quorum, vis præcipua in alterandis corporis liquoribus micat quamvis in ipsis particulas quasdam alendo corpori idoneas latere non negemus; talis est omnis simplicium aquarum species, Potio Caffé, & decoctum foliorum Thé.

I V.

PRIMUM ex iis liquoribus, Arabibus Turcisque familiarem, bonum dictum, conficiunt aqua & pulvis ex grano, minori fabæ non absimili concinnatus; Hoc insipidum, nullius odoris, durum & compactæ molis antè ustionem; adhibitâ autem levi torrefactione solutisque per ignem principiorum vinculis; mollius, subamarum gustui, acriuscum sed multis gratum odorem undequâque diffundit. Et aquam, cui ebullienti infundi solet, multis maculis, oleo quasi affuso distinguit; quis ergo ibit inficias, Caffé potionem satis magnâ salis volatilis acris copiâ imprægnari, quæ tamen aliquâ sulphuris volatilis portione ita mitescit, ut non mirum, si optima præstet; quid tandem de indico folio apud Japonenses & finas domestico, quod efformando alteri liquori Thé dicto adhibetur; Hoc violæ jucundum odorem spirans, linguamque subamaro sapore afficiens, duplii constare substantiâ, unâ, pauculâ quidem, fixâ terrestrique, alterâ volatili & uberrimo sale imprægnatâ, tum analyticæ destillationes, tum duplex recensita qualitas, abunde testan-

tur; hi duo liquores, in thermopolii venales, nova hu-
jus saeculi inventa indè habent ut non absimiles in huma-
no corpore effectus producant; attritas enim vires cum fœ-
nore reparare, cerebrum impletis somni vicibus animare ad
vigilias, veterno detentos excitare, crapulâ graves confer-
tim à vaporibus expedire, apoplecticos præcavere insultus,
imbecilliori ventriculo robur adjicere, discutere flatus,
Catharros à capite, molestasque tusses leni promotâ dia-
phoresi à pectore potenter arcere, ~~non~~ non vulgaris notæ
authorum fides & scripta testantur & innumera his potion-
ibus assuetorum experimenta confirmant.

*Ergo potio Caffé & decoctum foliorum Thé conferunt ad
sanitatis tutelam.*



A N V I N U M F E B R I C I T A N T I B U S

Concedendum.

I.

HO MINEM, superbum æque ac caducum Animal, tam innumera morborum semina & ideæ circumstant, tantaque mala undique circumstrepunt, ut totus à naturâ morbus sit, aliquando prius æger quam natus, cuius veritatis fidem facit uxoris gorgiæ Historia quæ filiam peperit ulcus habentem in Coxâ; in illâ tamen ærumnarum & calamitatum segete, nulla est febre communior lues, cuius Iatius pateat imperium, & frequentius corpora nostra soleat infestare, paucissimos enim affectus videre est quorum antisignana non fuerit, vel fidelis achates, hæc enim in omnes naturas, ætates, viros, mulieres, pueros & senes indiscriminatim grassatur nullâ habitâ regionum & temporum ratione; inde fluxit adagium, neminem sine febre mori.

I I.

RATIONEM ejus formalem & essentiam statuerunt Medicinæ principes in calore præter naturali cor uente indeque per omnia vasa diffuso; recentiores medici in pulsu sine causâ manifestâ frequente, Chymici in fermentatione totius massæ humoralis auctâ idèque præternaturali. Febris multiplex genus saniores Medici norunt, unum ma-

B

lignarum quod lypirias, hepyalas, purpureas, & pestilentiales includit, Alterum simpliciter continuarum quod ephemeris & putridas; Ultimum verò intermittentium quod quotidianas, tertianas, quartanas aliasque ex iis duplicatis vel triplicatis adunatas continet, singulæ variis distingui solent symptomatibus, quorum alia cerebrum, ut deliria, phrenitides, sopores, infestare solent, alia vitalem arcem aggrediuntur ut difficilis respiratio & pulsus inordinatus, multa visceribus nutritiis inhærent, ut vomitus, nauseæ, Cardialgiaæ, alui fluxus, colici dolores; nonnulla in habitu & extremis Corporis partibus sedent, ut Rigores, sudores frigiditates extermorum; quæ omnia si fugacia sint, ad levis prædicationem temporis urgentia, interpolatas febres, hafque ut plurimum periculi expertes arguunt; si verò firmiter in corpore fixa febres perennes, continuas, easque periculose plenaæ aleæ cordatus doctor pronuntiabit.

I I I.

FRUSTRA horum omnium Symptomatum & febrium causas aliundè deduces, quàm ex variis in rerum sex non-naturalium usu commissis erroribus & deliquiis; Ex aëre scilicet, si insalubris sit, heterogeneisque miasmatibus inquinatus; Ex cibo & potu, si qualitate, copiâ, & intempestivo ingerendi tempore labem contraxerint; Ex nimis vel parum exercitato corpore; Ex somno intempestivo & diuturniori, & Vigiliis pertinacibus; ex retentis diutius inutilibus excrementis, utilibus verò copiosius excretis; denique ex immoderatis & sapientiæ regulas excedentibus animi pathematibus, quorum insultu miserum hoc corpus infinita patitur legè unionis, quàm naturæ authoræ animam inter ejusque carcereum collocavit.

I V.

PARUM febricitanti prodesset doctoris sagacitas in
 distinguendâ febris, quâ præmitur, naturâ & indole,
 nisi cognitis agendorum insinuationibus, eâdem in investi-
 gandis remediis sagacitate & solertiâ uteretur; omnes im-
 plet multa remediorum suppelle generalium, sanguinis
 missionis scilicet & purgationis? Particularium sive alterantia
 sint Cardiaca, & specifica propriè dicta; sive nutrientia ut
 Vinorum omnè genus quòd multiplex est. Cereale ex cere-
 frugibus hordeo, avenâ, frumento conflatum, Pomaceum
 factâ ex Pomonæ donis expressione; Vinum denique propriè
 & Kara ~~et~~ ^{et} Dictum sive succus ex uvis maturis expressus,
 Bacchi Nectar & terræ sanguis. Hoc sanum hominem, si mo-
 dum in usu servet, multis beare commodis certum est, Coctio-
 nem promovet, nutritioni confert, robur Corpori & hilari-
 tam animo infundit secus accidit febricitantibus; excepto
 enim Animalium sanguine, liquorem omnem effervescentiâ
 superare creditur ex eò quòd in nullo, principiorum fer-
 mentescentium, spirituum scilicet, salis & sulphuris uberior
 copia reperiatur, mirari ergò non subest, si cùm tanto parti-
 cularum heterogenearum penu. Præter hanc quam solidis
 partibus labem ex iteratis fermentationibus affigere solet. In
 sanguine moveat incendia, seditiones & tumultus excitet in
 regimine Animali, excandescentias denique febriles augeat.

Ergò Vinum febricitantibus non Concedendum.

A S S E R T I O N E S.

MOrbi Arte Medicâ præcaveri possunt.
Pleuritidi Purgatio.

Dissenteriæ hypcacuana non specificum.

In ascite punctura mortem accelerat.

Contumacibus morbis emeticum.

Artriticis lactis usus.

Ad mictionem nulla est vesicæ Sphincteris **Actio**.

Febres intermitentes aliquando Lethales.

Sudor est excretio naturalis.

Narcotica in dysenteriis non semper tuta.

Harum Thesum veritatem, Deo favente, rueri conabitur
MARCUS-ANTONIUS MODERY, Doctor aggregatus,
 Consiliarius & Medicus hujus Civitatis Regius, Academiæ
 Alumnus, in publicis Medicorum Scholis, die Decembris
 Anno 1702. hora post meridiem secundâ.

B U R D I G A L E,

Apud **GUILLEMUM BOUDE**, Typographum & Bibliopolam,
 viâ Jacobea propè Forum. 1702.